



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 58. Sessio ad primam Mensis Maij diem prorogata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI.

A. C. 1552.

§. LVIII.

*Sessio ad primam Mensis Maii diem
prorogata.*

Pallav. l. c.

n. 6.

Thuan. l. c.

Cum interea Imperator in omni hocce rerum, temporisque concursu cunctas res rara prorsus prudentia moderaretur, ac perbenevole Synodi Patres, ut Protestantium Theologorum adventum præstolarentur, rogasset, etiam summus Pontifex, Patresque lubenter annuentes Sessionem, quæ ad decimam nonam Martii erat indicta, usque ad primam Maii diem prorogare decreverunt, ad id potissimum permoti, quod tres S. R. J. Electores a Synodo recesserint, atque Imperator nova mandata dederit (*). Porro Moguntinus, ac Coloniensis Electores Oenipontum pertranseuntes Cæsarem adibant, & cum eo longo admodum tempore conferebant, perhonorifice ab eodem excepti, quinimo Atrebatensis Episcopus eisdem obviam ibat, comitantibus illum Procerum nonnullis. §. LIX.

(*) Jam altera vice Continuator mentionem ingerit de Cæsaris mandatis, quænam tamen ea fuerint, nec ipsemet explicat, nec alii Scriptores memorant; id tamen Continuatori peropportunum videbatur, ut postea eo vero similis interruptæ Synodi culpam in Cæsarem conicere posset.